

Johann Bünsow


## **Tractatus luridicus De lure detractationis & Emigrationis**

Gryphiswaldiae: Doischerus, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769099424>

Druck Freier  Zugang






N. N. — 2 (54.)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn769099424/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn769099424/phys_0003)

DFG



TRACTATUS JURIDICUS

De

Jure detractio[n]is

&

Emigrationis

Authore

JOHANN E BÜNSOVIO, J.U.L.  
Consistorii Regii, quod est in Pome-  
rania nec non Dicalsterii Wolgast,  
Advocato.



GRYPHISWALDIÆ

Literis MATTHÆI DOISCHERI Acad. Reg. Typog.

ANNO M DC LXXIII.

Vol. LIV.

31. 77.



VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS,

DNN. CONSULIBUS,  
SYNDICO,


& cæteris patriæ civitatis

SENATORIBUS,

Mæcenat, Fautoribus & Promotoribus  
meis perpetuò suspiciendis,

*Tractatum hunc Juridicum  
in sui suorumq; studiorum commendationem*

*Perquam officiosè  
nuncupat & inscribit*



AUTHOR.



Oni consilii in administranda  
 Republ. necessitatem Imperato-  
 res Theodos. & Valerian. cuilibet  
 optimo Principi recommendaram  
 volunt *L. 8. Cod. de LL. dum*, quæ  
 bono consilio fuere ordinata, ad  
 Imperii beatitudinem redundare  
 non diffitentur; Hos secuti Po-  
 litici nostri non magis mentem &  
 rationem in corpore humano necessariam credunt, quam  
 in rectè administranda Republ. bonum consilium; à qui-  
 bus neque nos dissentientes meritò detestamur Machia-  
 velli omnibus odiosum ac damnandum, quod extat *in lib.*  
*ejus de Princip. cap. 23.* dogma, quo tam variis curis & nego-  
 tiis solum Principem sufficere affirmat, ut mutuatitiam  
 illam curam à Consiliariis petere, & de his sibi prospicere  
 non habeat necesse. Verùm non in bono consilio so-  
 lum Imperii est beatitudo, sed etiam præterea quoad  
 eam non minor ærarii est necessitas; In hoc enim Rei-  
 publ. consistit nervus & robur *L. 1. §. 20. de quest. L. 21. vers.*  
*buc accedit. Cod. de administ. Tutor.* quo Respubl. ornatur &  
 conservatur; Unde ornamenta pacis & belli subsidia à  
 Cicerone pro L. Manil. illatæ appellantur pecuniæ, qui-  
 bus deficientibus & denegatis Reipubl. interitum mina-  
 tur Imperator *Novell. 149. c. 2. Novell. 161. c. 2.* Nec absurdè  
 mystici hujus corporis vocari merentur alimenta, qui-  
 bus denegans extremam illud attrahet perniciem, ad in-  
 star corporis naturalis, quod in maciem & tabiem incre-  
 dibilem debitâ subtractâ alimoniâ erit recidivum, uti



Menenius Agripp. elegantissimâ sua ad seditiosam plebem oratione satis innuit *Liv. l. 2. Histor.* quod & Lacedæmonios exemplo satis sibi ipsis funesto expertos esse, Historiarum revolventes monumenta legimus; Dum præceptorum Lycurgi obliti, (qui propterea civibus auri & argenti ademerat usum, ne peregrinos Imperii Lacedæmoniorum, & Lacedæmonios Imperii peregrinorum lacefferet cupiditas) in alienas possessiones convertebant oculos, deficienteq; rerum gerendarum nervo pecuniâ, exteros Reges sollicitabant, quoad amicorum ope destituta Respubl. corrueret. *Bodin. de Republ. l. 6. c. 2.* Positâ igitur & concessâ ærarii necessitate quoad beatitudinem Imperii, conceduntur quoque modi ad ærarii constitutionem facientes. *arg. S. Idemq; Juris JJ. quibus ex causis manumittere non licet.* His ærarii constituendi modis non absurdè annumeratur Jus detractiois & emigrationis: Quod Jus uti æquitate naturali nititur, dum pro defensione Magistratui debitam gabellam de bonis exportandis & in alienum territorium transferendis ab hæredibus extraneis vel emigrantibus civibus exigit, ne spreto publico interesse inverso ordine proprium emigrantium attendatur commodum, quod aliàs publico longè est postponendum. Ita in nullius præjudicium per consuetudinem introductum, & Recess. Imperii confirmatum creditur. De hoc igitur Jure cum non exiguas circa id expertus sim controversias, disquisitio hæc erit Juridica. Faxit DEUS, ut in extensione ejus non sumus iniqui erga proximum privatum, neque in limitatione nimis ingrati erga Magistratum.

MEMBR.

MEMBR. I.  
De Jure Detractionis in specie sic dictæ,

CAPUT I.  
*ejus Generalia delineans.*

**D**E Jure Detractionis dicturus, non erubescō cum cæteris JCTis ab Etymologia, quam Cicero notationem vocat, mutuari exordium; cūm & manifestissimorum Ulpianus in *l. i. ff. de Inspec. vent. §. ii.* recommendat interpretationem. Dicitur igitur Jus Detractionis à de & trahere, quod germanicè est *abziehen* / unde etiam gabellam hanc *den Abzug* seu *Abshuß* vocamus, quòd qui jus detractionis habet, de bonis exportandis certam aliquam partem detrahit. Accipitur aliàs pro vectigali immobilium venditorum, quod in alienatione vel permutatione ejusmodi bonorum pro sortis sive summæ totius proportionem Magistratui tunc solvitur, quando contractus ab ipso confirmatus est, (wann der Rauff von der Obrigkeit ratificiret worden) diciturq; vulgò *der Abzug von der Rauff-Summa*. *Vid. Maximil. Faust. ab Aschaffenberg Claf. 10. Cons. 44. Ord. 509.* Et quamvis etiam de cæteris vectigalibus quoad significatum genuinum accipi possit, tamen quia Jure consuetudinario apud Practicos pro iis vocabulum hoc non reperitur acceptum, sed cætera vectigalia singula propriis insignita extant nominibus, nostrum non erit plures huic vocabulo affingere in Jure significatus, sed magis juridicè & specialiter accipere pro vectigali de hæreditatibus extra territorium aliquod in alienum transportandis solvendo. Variis effertur hoc Jus nominibus Germanis dicitur *Abshuß* / *Nachsteuer* / *Nachschuß* / *vid. Beat. Mey. ad Jus*

*Lubec. part. 2. Tit. 2. Artic. 4. Practicis dicitur Jus falcidiae vid. Maximil. Faust ab Aschaffenb. in Consil. pro ærario. Conf. 48. Class. 10. Item Jus decimandi. Class. 3. Conf. 17. Ord. 106. aliis decima. In specie quoad sensum juridicum definitur detractio quod sit jus per consuetudinem introductum, quo vel vigesima vel decima vel quarta vel tertia pro cuiuslibet loci consuetudine ex hæreditatibus & legatis peregrinorum hæredum & legatariorum in alienum territorium transferendis in usum ærarii publici à Magistratu competenti decerpitur. Quæ definitio constat genere & differentiâ specificâ, genus est jus, quod hîc denotat facultatem jure tributam; Differentia specificâ desumitur à materia, de qua fit detractio, hæreditate scil. in peregrinitatem, h. e. peregrinis hæredibus delatâ, quæ Juris, quod aliàs quoque dicitur de usufructu, hæreditate, bonorum possessione & aliis rebus incorporalibus, ff. l. 2. tit. 3. certam constituit speciem. Ratione Objectorum est duplex, aut enim hanc detractioem pati necesse habent hæredes peregrini aut legatarii.*

## *CAPUT II.*

*Originem & Causas detractiois externas, Moral. scil. & Efficient. delineans.*

**P**ost exhaustum per bella ærarium summâ urgente necessitate Imperator Augustus ex hæreditatibus legatis & mortis donationibus, quæ extraneis relinquebantur, vigesimam decerpi constituerat uti constat ex *Dione lib. 55. vid. Beat. Mev. comment. in Jus Lubec. p. 2. Tit. 2. Artic. 4.* Quod vero jus vigesimæ subsequentes Imperatores Nerva, Trajanus, Adrianus, Marcus, & alii cessare voluerunt *Caroc. ad Jul. Paul. lib. 4. Tit. 6. in princip.* uti quoque tandem à Gratiano sublatum esse statuit. *Alciat. l. 3. Disput. jur. 6.*

jur. c. 6. Neque ab ipso Imperatore Justiniano approbatum ullibi legitur, uti patet *ex l. fin. Cod. de Edict. div. Adrian. tollend. & ibi Castr. n. 4. è Gotbofred. Notis.* Donec tandem recentior ætas propter necessitatem & utilitatem publicam per consuetudinem iterum introduxerit & sic in usum revocaverit, uti videmus in plerisque fere bene constitutis Rebuspub. in usu esse & quidem propterea, quia qui necessitate & utilitate publica suadente & imperante contra jus commune & Gentium introducuntur mores & statuta municipalia, ex æquitate introducta censentur. Uti ex sequentibus causis moralibus patebit. Æquitatem naturalem in eo esse sitam Jcti nostri firmissime statuunt, quod qui subditi fiunt & in Civium numerum recipiuntur, Magistratus tutelâ ac jurium communicatione circa negotiationes acquisitioni bonorum inservientes fruantur, ut exinde non immeritò de ejusmodi civis defuncti bonis extra territorium transportandis partem quandam secundum cujuslibet loci consuetudinem remunerationis ergo Magistratui relinquere habeant necesse peregrini hærodes, *vid. Maximil. Faust. ab Aschafsenb. Conf. 35. Class. 10. Beat. Mey. ad Jus Lub. p. 2. Tit. 2. Art. 4.* Cum, quam defunctus si vixisset in casu emigrationis pro defensione & jurium communicatione de bonis exportandis Magistratui ex æquitate naturali debuisset gabelam, ad ejusdem præstationem non absurdè quoque teneatur hæres peregrinus in casu translationis bonorum, *arg. l. 10. ff. de divers. R. J.* quæ lex non solum de incommodis & debitis jam contractis sed etiam de iis quæ quidem non contraxit defunctus, verum certò tamen in simili casu contraxisset, accipienda venit. Nec obstat quod subditi & cives emigrantes domicilium aliò transferendo, jura civitatis voluntariè perdant, & proprio motu moribus

ribus nostris cives & subditi esse desinant, idq; non solum quoad munera, verum etiam quoad Jurisdictionem vid. *Gail. Observ. Cam. lib. 2 c. 36. n. 7.* Unde Jus hoc detractionis Magistratui ceu Jurisdictionis effectus & fructus hoc casu denegandum videtur, *secundum Beat. Mev. Decis. 160. p. 2.* cum cessante causâ Jurisdictione scil. regulariter & necessario quoque cesset effectus perceptio scil. fructuum jurisdictionis, ut ceu actus jurisdictionalis *arg. l. rescript. §. final. ff. de Munerib.* in non subditos exerceri non possit. Habens enim jurisdictionem habere tantum dicitur Jus collectandi. *Wesembec. consil. 45. p. 1.* cujus species est detractionis Jus. Quamobrem multo minus peregrini hæredes ad detractionis gabellam teneri videntur. Per nudam enim translationem domicilii cives à civili obligatione & jurisdictione non liberantur nisi legitime præviâ scil. renunciatione & solutione debiti consueti fuerit factâ. *vide Mev. ad Jus Lubec. p. 1. lit. 2. art. 2. n. 75.* Unde principium illud supra allegatum non de quavis nuda sed legitimâ domicilii translatione accipiendum est; quâ non legitime factâ emigrantes cives quamvis multis annis abfuerit, ad residua onera compelli posse, rectè existimat *Dn. Struvius Ex. ult. §. 26.* quod quoque de peregrinis hæredibus procedit, ut non per nudam exportationem bonorum Jurisdictioni alicui & contributionis oneri suppositorum ab hac obligatione liberentur, nisi legitime fuerit factâ, vel aliàs propter aliquod privilegium, ab hoc onere sint exempti. Causa moralis Politica est, damnum, quod Respubl. ex translatione bonorum sentire videtur, cum publicè intersit, eam & hominibus & rebus esse locupletatam & Magistratus loci, qui in bonis jus collectandi habet, eo jure hoc casu priveretur, unde in utilitatem publicam & compensationem aliquam propter

pter rationem hanc politicam non immeritò percipi decimas istas rectè putat *Cothman. in Respons. Acad. 19. num. 45.* Nec obstat, quod detractio fiat cum damno privatorum, quod contra honestatem esse videtur ex qua vera utilitas procedere creditur cum utile & honestum sint connexa, quæ, licet abstractivè considerata inter se sint diversa, ad Juris tamen effectum aliquem, jungenda veniunt, ut nulla utilitas putetur vera, nisi quoque sit simul honesta. Respondendum enim est, quod boni vel honesti appellatio non sit certæ rei significativa, cum, quod bono melius est, & ipsum quoque bonum sit. Unde non sequitur, illud huic vel illi privato commodum non affert, ergò neque publicè omnibus verè prodest; quod enim communiter omnibus prodest, hoc ceu honestius privatæ nostræ utilitati præferendum esse censemus. *l. unic. Cod. de Caduc. toll. §. hæc autem omnia.* Neque semper id, quod privatim unius ex sociis interest, servari solet, sed quod societati expedit. *l. actione. §. labeo autem. ff. pro socio.* Est verò utilitas publica in eo, quod ærarium, sine quo nulla Respublica conservari potest, *Novell. 149. c. 2. Novell. 161. c. 2.* sic augetur. An verò utilitas publica in Jure detractiois ita veniat attendenda, ut indistinctè de omnibus hæreditatibus exportandis, quantæcunque sint, & cuicumque fuerint delatæ, vel diviti, vel pauperi, eadem quantitas detrahi possit, nec moderationi relinquatur locus? Negandum videtur, quia quælibet exactio pro modo facultatum instituenda venit, *arg. l. i. Cod. de Munerib. patrim. ne privatus immodicis sic gravetur expilationibus,* ut tandem deficientibus mediis ad promovendam prosperitatem necessariis ad inopiam redigatur; Unde iis rebus, quæ ad vitam commodè & honestè degendam & ad victum & amictum faciunt, nec non aliis necessariis nulla

B

vel

vel saltem leviora imponenda vectigalia esse statuit *Maximil. Faust. ab Aeschaff. de Consil. pro arario Class. 10. Consil. 30.* Hinc si decima pars de bonis hæreditariis in alienum territorium transferendis Magistratui alicujus loci jure detractionis competeret, & hæredi peregrino non superflua, sed ad promovendam prosperitatem, victum & amictum maximè necessaria relicta, & ad transportandum delata, essent bona, non decima, sed discretiva pars in utilitatem publicam detrahenda est, ne bona hæreditaria per ejusmodi immoderatas detractiones sic diminuantur, ut hæredibus ad promovendam prosperitatem (in quem finem à defuncto acquisita & relicta sunt) amplius non sufficiant. Unde rectè *Bodin. l. 6. c. 2. de Republ.* earum rerum vectigal augeri bonâ conscientia posse statuit, quibus carere sine magno incommodo possumus.

Quoad utilitatem verò publicam norandum est, quòd extra casum necessitatis ad nova Tributa & vectigalia introducenda Magistratui sola non sufficiat, quia, extra dictum casum quælibet contributiones, ceu servitutis speciem habentes, omninò odiosæ censentur, *Ernest. Cotbm. Conf. 11. num. 46. vol. 1.* in tantum modò utilitas publica Magistratum ratione jurisdictionis & administrationis quasi Dominum effecit omnium bonorum, ut pro necessitate tantùm ex iis aliquid decerpere valeat. *Vide Casp. Klock. cap. 1. Tractat. de Contrib.* Unde quoque Jus hoc detractionis pro cujuslibet loci necessitate introductum legitur & L. Imper. approbatum. *Vid. Reichs Abscheid zu Augspurg Anno 1555. §. Wo aber unser noch.* Quodcunque igitur utile est, id quoque necessarium esse putatur, ex vice versa ubi nulla necessitas, ibi quoque civiliter nulla vera utilitas; Quæq; non ad communis Patriæ defensionem, jurisdictionem, Magistratuum tuendam authoritatem,

tem, murorum, fontium, & si quæ sint alia, conservatio-  
nem sunt necessaria, ea neque utilia censentur.

Cognitâ sic hujus Juris æquitate, nec non utilitate,  
publicâ, progredimur ad causam efficientem remotam,  
cujus vi & operâ aliquid fit vel evenit; & hanc statui-  
mus Consuetudinem; Inveteratâ enim & communi fo-  
rè Germaniæ consuetudine civitates Jus detractionis e-  
xercere, affirmat *Beat. Mer. decis. 160. p. 2.* nec non *Gail. Ob-  
serv. 39. n. 9. in fin.* ubi sequentia habentur verba: In ma-  
teria decimationis, ut ipsa ex consuetudine cœpit & in-  
valuit, sic præprimis consuetudo loci attendenda venit.  
De cujus consuetudinis justitiâ & rationabilitate quo-  
que non dubitandum; Si enim id, quod per eam intro-  
ducitur, justum & æquum est, neque consuetudo injusta  
& irrationabilis censeari potest.

Causa efficiens proxima est Jurisdictio; Hujus e-  
nim effectus & fructus dicitur decimatio, *vid. Cothm. Resp.  
Acad. 19. num. 10. & 13.* cum non nisi vi Jurisdictionis exer-  
ceri possit; Unde exempti à Jurisdictione exemptionem  
quoque habent à decimatione, juxta *Beat. Dn. Mer. decis.  
160. p. 2.* quod hodiernâ consuetudine obtinet, quamvis à  
quibusdam Jctis inter Regalia referatur, qui hac nitun-  
tur ratione, quia scil. Jus collectandi, cujus species est  
Jus decimandi, summo Magistratui tantum competit, &  
quidem magis jure Superioritatis, quam vi Jurisdictio-  
nis. Respondendum enim est ad illam rationem limi-  
tando, quòd scil. non quarumlibet, sed illarum tantum,  
collectarum impositio, quæ ad universi Imperii, vel Re-  
gni incolamitatem & summi Magistratus usum pro ne-  
cessitate requiruntur, sit quidem Majestatis & Superio-  
ritatis, ut non possit minoribus Magistratibus compete-  
re, aut non abstractivè consideratæ, sed quatenus Maje-  
stas



stas connexam sibi habet jurisdictionem. Hinc quoad Jus detractionis distinguimus, aut bonae Regno vel Imperio exportantur, & tunc, si in utilitatem publicam pro necessitate introductum est, soli summo Magistratui eo casu competit; aut bona non è Regno, sed ex una Provincia in aliam in eodem Regno exportantur, tunc minori Magistratui competit; aut ex una civitate in aliam in eadem Provincia, tunc Magistratui civitatis, unde transportantur, competere vi jurisdictionis indubitati juris est. Primo casu inter Regalia numerari potest, quatenus summo Magistratui ratione Majestatis realis, quæ connexam habet Jurisdictionem, competit; ast non sequenti. Unde luce meridianâ clariùs patet, quando Jus hoc detractionis tributum reperitur Majestati, Jurisdictionem non esse excludendam, sed potiùs præsupponendam. Cùm enim vi Jurisdictionis contra omnem vim tam publicam quàm privatam defendamur, & pro defensione Magistratui Jus collectandi in bonis subditorum competat, quis negaret, Jurisdictionem quoque esse collectarum causam? cùm causa causæ sit & causa causati. Jam verò constat, quòd nuda Majestas abstractivè sumta sine Jurisdictione defensionem non præstet, nisi connexam habeat Jurisdictionem, quamobrem multominùs ad contributiones aliquem obstringere valet; quod & ipsa consuetudo non obscure interpretatur, dum ex eâ Jurisdictionis esse cœpit. *Vid. Beat. Mew. in prædict. decis. p. 2.*

### CAPUT III.

#### *De Causis bujus Juris internis, Materiali scilicet & Formali.*

**O**Rigine sic & causis externis exploratis progredimur ad internas detractionis causas, Materialem scilicet & For-

& Formalem. Materialis est vel subjectiva vel objectiva; Subjectum est vel affirmativum vel negativum. Subjectum decimationis affirmativum sunt personæ, quibus competit; & hæc vel Reges, Principes, Civitates Imperiales, Nobiles immediati Romani Imperii, vel Nobiles mediati & Civitates municipales.

De Regibus & Principibus variæ & diversæ extant Jctorum opiniones. Alii detractionem Jure Majestatis & Superioritatis abstractivè consideratæ illis competere firmisimè statuunt *Vult. de Feud. l. 1. c. 5. n. 7. p. 90. Cöpen. decis. 32. n. 4. 8. Rosenthal. de Feud. c. 5. Conclus. 74. n. 1.* Quibus calculum adjūdit *Clariss. Dn. Eichmann in Inaugural. suâ de hoc Jure Dissertatione Thes. 5. propter rationem hanc Politicam, quia collectarum universalium & provincialium impositio soli Imperatori & Principi competit, & cui Princeps illud specialiter concesserit. l. 1. C. de Indict. Libert. l. 10. Schneidew. Epir. feud. p. 5. n. 119.* Nec dissentit ab illis *Meichsnerus Tom. 2. lib. 1. in causa Mähng contra Erfurt Decis. 9. n. 2. ubi se explicat: Daß impositio collectarum nicht sey Jurisdictionis, auch den Gerichten nicht anhängig, sondern in die hohe Obrigkeit und Regalia gehöre ic. Vid. Reink. de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 4. n. 124.* Alii ratione Jurisdictionis omnimodæ Magistratui competere statuunt. *Cotbm. vol. 1. Cons. 11. n. 23. Mindan. lib. 2. de Mandat. c. 45. n. 2.* Quibus cum *Beat. Dn. Mev. & nos astipulamur, cum sola Majestas (uti supra dictum) absolutè nullum inducit collectandi jus. Non enim sequitur, hic vel ille in regali constitutus est dignitate, ergò jus habet collectandi; siquidem dignitas regalis quoque sine Juribus regalibus consistere potest, & vice versâ Jura regalia sine titulo regali, uti Clariss. Dn. Eichman. dict. Dissert. de Jure Detractionis thes. 7. ipse fatetur. Et si Jura regalia sine regali dignitate consistere*

possint, ut ad eorum essentiam ejusmodi titulus minimè  
requiratur, non tam ratione Majestatis abstractivè con-  
sideratæ, quàm Jurisdictionis universalis, quæ Majesta-  
tem connexam habet, summo Magistratui competere,  
videntur. Unde non absurdè Jus hoc effectus Jurisdi-  
ctionis dicitur. *Vide Cothm Respons. Academ. 19. num. 11. & 13.*  
Neque absurdè, à Jurisdictione exemptos exemptionem,  
quoque ab hoc Jure habere, statuit *Beat. famigeratiss. Dn.*  
*Mev. decis. 160. p. 2.* Ad quod accedit & hæc ratio, quòd,  
si non nisi ratione Majestatis & Superioritatis Magistra-  
tui competeret, per consuetudinem ceu absurdum non  
potuisset introduci, ut esset Jurisdictionis; Absurda e-  
nim per consuetudinem, quæ justa & rationalis esse de-  
bet, introduci nequeunt. Nec obstat suprà adducta ra-  
tio Politica, quòd scil. impositio collectarum soli Princi-  
pi competat, & cui Princeps concesserit; Est enim hæc  
ratio non simpliciter vera, cum, quòd Principi competit,  
alià quàm regalis dignitatis ratione competere possit.  
Unde non sequitur, hoc vel illud Principi competit, er-  
gò non est Jurisdictionis. Neque obstant verba *Meichs-*  
*neri*, quòd scil. impositio collectarum non sit Jurisdictionis,  
sed Regalibus annumeranda veniat; Hæc enim  
verba de Jurisdictione inferioribus Magistratibus con-  
cessâ sunt accipienda, quòd scil. ratione ejusmodi Juris-  
dictionis, quamvis omnimodæ, inferiori Magistratui  
minimè competere posset jus collectandi universaliter in  
omnium totius Provinciæ subditorum bonis, quòd Jus  
Superioritatem & universalitatem requirit Jurisdictionis;  
Quamobrem hæc verba non absolutè Jurisdictionem  
quoad jus detraktionis excludunt, sed tantum ut  
concessâ Magistratui municipali, vel alii inferiori omni-  
modâ Jurisdictione non intelligi simul possit concessum  
jus

ius collectandi universaliter. Quæcunque igitur soli Principi competunt Regalia, ratione universalis & superioris Jurisdictionis competunt, neque attenditur superioritas personæ, sed jurisdictionis; Unde si ratione Majestatis & Superioritatis impositio universalium collectarum legatur competere Principi; non excludenda est Jurisdictio. Ad hunc enim effectum, ut jus collectandi sit regale, duo requiruntur conjunctim, Majestas s. Superioritas & Jurisdictio. Si igitur jus illud Magistratui non in regali dignitate constituto competat, tamen regale est propter analogam Imperatoriæ Majestati potestatem, quam in suis ditionibus usurpant. *Dn. Struv. Ex. 3. lb. 29.* Nec obstat communis regula, quam objicit *Clariss. Dn. Eichman. in Inaugurali de hac materia Dissertatione*, quod scilicet ne Jurisdictionis omnimodæ concessione veniant Regalia; Illa enim itidem de Jurisdictione inferiori Magistratui concessâ accipienda est, quâ jus collectandi universaliter non præsupponitur simul concessû.

Civitatum Imperialium Jura regalia impugnat, *Knich. de Superior. c. 1. n. 16.* & quidem his rationibus, quia scil. civitates ejusmodi Imperiales liberæ dignitatibus regalibus non gaudent, vel weil sie niche mit der Landes Fürstl. Obrigkeit / mit aller Hoch- und Herrligkeit investiret seyn / neque territoria earum in Ducatum, Marchionatum &c. erecta vel investa sunt. Sed ad has rationes, si penitiùs inspicias, sufficienter præcedenti quæstione responsum. Quamvis enim Jura personalia Principum non habeant, tamen Jura territorialia, (die Landes hohe Obrigkeit / oder die Landes Ober- und Herrligkeit) quæ eo ipso, quod inter Status receptæ sint, acceperunt, possident, *vid. Carpz. ad L. R. c. 3. s. n. 78.* ut exinde realia Principis jura non minùs quàm Principes in suis ditionibus exercere valeant,

valeant, *vid. Gail. 2. Observat. 57. n. 7.* cū Status Imperii nomen æquè non magis inane esse debeat ac Principis. *Tbom. Mich. de Jurisdic. conclus. 44. l. 9.* Uti igitur Jura regalia sine dignitate regali esse possunt, & Superioritas Jurisdictionis sine titulo regali, ita quoque & alia Regalia jure Superioritatis Civitates Imperiales vindicare & sic consequenter exercere possunt. *Vid. Maximilian. Faust. ab Aschaffenberg Cons. 32. Ord. 121. Claß. 3.* Nec obstat, quòd ratione certorum quorundam jurium vel servitutum certà lege, pacto vel conditione alicui sint subjectæ, vel Princeps in iis jura quædam singularia, (merum puta Imperium, Vectigalia, Salvum Conductum & similia) ex præscriptione vel conventionione habere comperiatur; Potest enim certo pacto quidem civitas Imperii subdita fieri, superioremq; Statum aliquem Imperii recognoscere, ast extra pacta conventa nihilominus planè suâ libertate frui. *Vid. Gail. 2. Observat. 54. n. 10. Reink. l. 1. cl. 5. c. 20. n. 12.* Neque movent Juris publici Scriptores, qui non suffragandi, sed consulendi tantum jus habere Civitates Imperiales existimant, quod princip. A. B. der Städte *Botschafften* præsentia quidem, non verò suffragium demonstraretur; Claritas enim hujus textus satis evincit contrarium: Si enim vota non haberent, cur ad Comitiam vocarentur? Cur Electores & Principes ante omnia suas sententias aperirent, cū eas rectè Imperatori, si Civitatibus consilii & non suffragii jus esset, referre possent? *Arum. ad A. B. disc. 1. conclus. 8.* Cur denique decretis Imperii subscriberent, si subscriptio hæc non fieret jure suffragandi, ut scil. vota ordines obstringerent? Quod quoque sic in Instrumento Pacis §. 8. publicè reperitur decisum, ubi sequentia habentur verba: *Byndes auß allgemeinen/ als particular Reichs Versammlungen/ soll denen Reichs*

Reichs-Städten weniger nicht als andern Reichs-Ständen vo-  
rum decisivum zustehen / etc. Probato igitur suffragandi  
jure, quod necessarium requiritur ad id, ut in statuum sint  
numero. *vid. Reichs Absch. de anno 1548. §. was auch ein auß-  
gezogener. quis denegaret illis jus Status, ratione cujus  
juris immediatè Imperio subjectæ sunt? Et quis conse-  
quenter Jurisdictionis territorialis superioritatem ratio-  
ne cujus jus decimationis ejusmodi civitatibus compe-  
tere possit? Quis denique dubitaret, cum jam plerisque  
civitatibus Imperialibus sit in usu? vid. Gail. 2. observ. 36. n. 10.*

Nobiles Imperii Romani immediati quamvis hodiè  
inter Status non numerentur, nec Comitibus intersint, sic-  
ut juxta quotidianam experientiam *Arum. de Comit. c. 4. n.  
125. Dn. Carpzov. ad L. R. c. 3. §. 12. n. 17. & seq.* Nec non ipsi  
testantur Nobiles Circuli Francici in literis Anno 1619.  
II. Novembr. Norinbergæ Statibus correspondentibus  
exhibitis, ubi sequentia extant: Weil die Reichs-gesreyete  
Ritterschafft / als ein sonderbar Dach der Römischen Käyserl.  
Maytt. und dem heiligen Reich so wol als die Reichs-Städte  
ohne Mittel zugethane corpus, in der Reichs- und Krays-Ma-  
tricular, auch dero Anschläge nicht begriffen / und auf die Reichs-  
Deputation und Krays-Convent nicht beschrieben zu werden  
pflegen etc. Tamen illis, quia solum Imperatorem agno-  
scunt superiorem, nec non jus territorii cum omnimoda  
jurisdictione habent, *vide Gail. 1. Observat. 21. num. 4.* ratio-  
ne illius Jurisdictionis territorialis jus hoc detractio-  
nis in territoriis suis competere statuimus: Cum quod ipsis  
Statibus Imperii non jure Status, sed ratione jurisdic-  
tionis competit, id quoque ex eodem principio Nobilibus  
Imperii immediatis competat, quamvis Imperii Status  
non sint. Unde malè à quibusdam juri Status hoc jus  
absolutè tribuitur; quia jus territoriale sine jure Status  
C  
confi-

consistere potest, neque jus Status in collectione & de-  
tractione consistit. Conferunt enim regalis dignitas ad  
territorialem Superioritatem, quæ talis est, parum aut ni-  
hil, nec ideo quis hanc habet, quia illam, sed aliis atque  
aliis ex causis utraque dependet. *Vid. Ming. de Superioritat.  
territorial. conclus. 48.* Non obstat, quod multi ex his re-  
galibus destituantur, hoc enim non ipsis fit invitis, ne-  
que per unum atque alterum exemplum tolluntur addu-  
cta principia, ex quibus competere possunt ejusmodi ju-  
ra, & competunt, nisi sponte renunciaverint, ad quod  
accedit, quod è contrario plurimi reperiantur, qui am-  
plissima territoria habent, & in illis Statibus Imperii  
nonnullis æquiparari possunt. *Vid. Casp. Unrath in Prefat.  
Disput. de Jurisdic. Nobil. immed. Ecclesiast. Besold. de Ord. Equ.*  
Neque obstat, quod mandato sine clausula in Camera  
Imperiali An. 1580. 10. Januarii adjectum fuerit: *Die  
weil dann ihr kein Stand des Reichs seydt / noch als privati eini-  
ge privilegia oder regalia habet / noch erlangen können.* uti re-  
fert *Compiler Decis. Cameral. verb. Nobilitas.* Illa enim ver-  
ba de majoribus regalibus, de jure scil. universaliter in  
regno collectandi, accipienda sunt, quæ soli Majestati  
competunt, & si de minoribus accipienda sint, non sic  
intelligi debent, ac si Imperatore volente & concedente  
ejusmodi regalia etiam ex alio principio, nempe jure  
territoriali, cum omnimoda jurisdictione à Nobilibus  
haberi non possint. *Vid. Ming. de Superiorit. territor. conclus. 48.*

Nobiles mediati, qui in aliorum Principum territo-  
riis habitant, quamvis immediatorum Nobilium juribus  
non gaudeant, neque ad illorum classem exinde sint re-  
ferendi, tamen cum jurisdictionem & mixtum, imò &  
merum imperium in pagis suis ut plurimum habeant, ad-  
eòq; & jus dicere & id simul exequi tam in civilibus  
quam

quàm in criminalibus possint, *vid. Dn. Matth. Stephan. lib. 2. p. 1. c. 7. n. 137.* à jure detractionis non sunt excludendi. Dicitur enim hoc jus fructus jurisdictionis *Cothmann. Resp. Academ. 19. n. 11.* Cui astipulatur *Beat. Dn. Mev. Jct famigeratissim. decis. 160. p. 2.* Nec non ex supra adductis rationibus & nos astipulamur, ex quibus luce meridianâ clariùs patet, quòd, quamvis jus hoc detractionis Regibus & Principibus dicatur competere ratione Majestatis & dignitatis regalis, nec non eatenus Regalibus annumerandum sit, tamen, cùm dignitas regalis & Majestas non sint vocabula inania, neque abstractivè consideranda veniant, ut excludatur jurisdictio, nihilominus fructus jurisdictionis est. Sed hìc quæritur, an hæc gabella de bonis rustici defuncti solvenda sit illi, qui jurisdictionem universalem, (*das Strassen-Gericht*) an verò illi, qui particularem in pago (*das Gerichte binnen Zauns*) habet jurisdictionem? Hanc habenti ab Amplissima Viadrinæ Academiæ Facultate Juridicâ Anno 1613. 26. Novembr. adjudicatam fuisse detractionis gabellam legimus. *Vid. Schepelitz. ad Consuetud. March. p. 3. T. 8. q. 3. n. 24. & seqq.*

Civitates municipales omnimodam jurisdictionem cum mero mixtoq; imperio habentes ex consuetudine, lege Imperii confirmatâ jus hoc detractionis exercere, quotidiana testatur experientia. *Vid. Beat. Dn. Mev. ad Jus Lub. p. 2. T. 2. art. 4. n. 14.* Quod & æquum est; Cui enim concessa est omnimoda jurisdictio, illi quoque simul concessum intelligitur id, sine quo jurisdictio exerceri nequit, (ut vi jurisdictionis privatorum bona contra vim tam publicam quàm privatam salva conservari possint) jus scil. collectandi pro necessitate; Non igitur obstat, quòd jus collectandi annumeretur regalibus,



id enim non simpliciter, sed secundum quid sic est accipiendum, quatenus scilicet summo Magistratui universaliter pro necessitate publica competit, cui Civitatibus concessæ jurisdictiones præjudicare non possunt; vel quatenus summus Magistratus certam juris collectandi speciem sibi reservavit; Quod si non fuerit factum, dubium non est, quin ratione jurisdictionis inferiori Magistratui, nec non Civitatibus municipalibus competere possit, vel per consuetudinem introduci, ut ceu fructus jurisdict. competat; Si enim regalis dignitatis tantum esset, per consuetudinem, quæ & ipsa est jurisdictionis, non potuisset introduci, ut esset jurisdictionis fructus. Ad quod accedit, quod Amplissima Juridica Academia Altorffina Facultas ad consultationem Senatus Coburgensis Anno 1610. 16. Februarii respondit: Ob es sich wol ansehen lässt / daß derogleichen Jura, als Nachsteuer / Abzug und Abschiedung / vor Regalia zu halten / und deroewegen denen Städten / welche dem Reiche nicht ohne Mittel unterworffen / nicht zu verstaten seyn, per text. in C. unic. quæ Regal. Mysing. c. 5. Observ. 19. Cùm Civitates sine permisso Imperatoris nova vectigalia instituentes teneantur l. Julia de ambit. & de vi publica. So halten wir es dennoch im Widerspiel dafür / daß die Städte dieses jus nicht weniger als andere jura per præscriptionem legitimam acquiriren und pro tuenda jurisdictione sich derselben gebrauchen mögen / welches auch ohne dem mit dem Reichs Abscheid de Anno 1548. §. Wo aber innerhalb. §. Und soll unser. §. Und wann auch weggethan und bekräftiget wird. Ex quibus verbis Responsi quoque non obscure colligi potest, quòd, quamvis in præjudiciũ summi seu superioris Magistratus ejusmodi Civitates nova vectigalia instituire non valeãt, tamen, si ejusmodi per legitimam præscriptionem acquirere

tere possint, & quidem in favorem jurisdictionis, vi cuius  
jus universitas ejusq; salus conservatur, multò magis jus  
decimationis ratione jurisdictionis per consuetudinem  
introducere valeant, quòd jus superiori Magistratui non  
præjudicat, sed tantum circa bona defunctorum à pere-  
grinis hæredibus in aliena territoria exportanda obser-  
vatur, nisi superior Magistratus expressè sibi hoc jus re-  
servaverit. Hoc enim si fuerit factum, omnimodà ju-  
risdictione concessà, simul non concessa intelligitur de-  
cimatio, neque salvo superioris Magistratus jure per  
præscriptionem, quæ legitima esse debet, acquiri potest,  
quod eò verius esse putamus, quòd magis publica privatis  
sunt præferenda; ut exinde, quæ ad utilitatem publi-  
cam sunt necessaria, vel ad publicam necessitatem utilia,  
minimè privatis, quorum loco habentur Civitates muni-  
cipales, l. 16. 17. de V. S. veniant concedenda. Sed hic  
quæritur, an, ubi superior Magistratus residet, jus hoc  
inferiori, penes quem solum non est omnimodà jurisdic-  
tio, sed tantum criminalis jurisdictionis pars,  
competat? Negativam alii defendunt firmis hinc  
principiis: (1) Quia est fructus jurisdictionis omnimo-  
dæ, quæ merum & mixtum Imperium comprehendit, se-  
cundum *Beat. Dn. Mey. in Comment. ad Jus Lub. p. 2. T. 2. artic.  
4. n. 14.* (2) Natura correlatorum, quia defensio & ex-  
actiones sunt correlata, ut cujus jurisdictione contra  
vim publicam & privatam defendimur, illi quoque in  
redhostimentum defensionis contributiones debeamus.  
(3) Quia jurisdictionis Superioritati & superioris præ-  
sentia hoc ipsum præjudicaret, si inferiori Magistratui  
hoc casu ratione tertiæ partis jurisdictionis criminalis  
detractionis jus competeret. (4) Quod, uti absurdè,  
uni competit jurisdicatio, & alteri ejus fructus citra ullam

causam legitimam, sic non minus absurdè universitas teneatur ad solvendum eî, cui nullo jure debet, cum & debitoris intersit cui solvat, & cui velit teneri. Mihi verò prædictæ rationes limitandæ videntur, si superior magistratus certos jurisdictionis concesserit fructus, inferiori & inter hos detractionis gabellam; quod & ipso jure non improbat, siquidem fructus à rei proprietate separantur.

Cognitis sic personis, quibus Jus detractionis competit, simul intelligimus, quæ personæ & civitates hoc jure non gaudent, cognito enim uno ex contrariis, non potest alterius ignoratio contingere; Quamobrem non absurdè progredimur ad causam materialem objectivam, quæ itidem est duplex, & quidem vel affirmativa vel negativa. Affirmativa sunt hæreditates civium peregrinis hæredibus delatæ & in aliud territorium transportandæ, nec non incolarum, qui, quamvis non sint cives, tamen cum ratione domicilii jurisdictioni municipali subjiciantur & sic forum sortiantur, pro civibus de jure sunt habendi. *L. Incol. i. ff. ad L. Municip.* ut exinde non immeritò quoque consuetudinibus & statutis loci subjecti sint. Forum enim sortiri & legibus loci alligari paria sunt. *vid. Gail. 2. observ. 35. n. 5. 6.* Quamobrem quoque de incolarum hæreditatibus peregrini hæredes detractionem pati necesse habent in casu translationis; Nec obstat, quod hæredes sint peregrini; quamvis enim ceu peregrini ab alicujus loci, unde transferendæ sunt hæreditates, jurisdictione exempti sunt, tamen quatenus sunt hæredes, ratione hæreditatis forum ibidem sortiantur, & ad hujus gabellæ solutionem in casu translationis teneantur, quia præstiti à Magistratu patrocini fructus percipiunt. *vid. Rauchbar p. 1. quest. 15. n. 6. & seqq.* ubi rationes detra-

detractionis exponuntur. Quod tamen limitatur procedere in peregrinis hæredibus propter certum privilegium ab hoc onere exemptis.

Legata, de his non minus gabella hæc in casu translationis exigitur, *beat. Mev. ad Jus Lub. p. 7. T. 2. art. 4. n. 16.* nec habet necesse hæres restituere legatario, quia onus illud personæ, non rei occasione imponitur, quamobrem hæredem non tangit. *Vid. Maximil. Faust. ab Aschaffenberg Consil. 239. Ord. 390. Class. 4.* Idem de Fideicommissis, mortis causâ donationibus, Utensilibus & aliis bonis, quæ peregrinis obveniunt, in casu translationis statuendum, modò ejus loci censeri possint, ubi defunctus habitavit, quamvis eo in loco reverà non existant, qualia sunt nomina & alia mobilia alibi quidem existentia, hæreditati tamen affixa & Magistratus jurisdictioni subiecta. *Vid. Beat. Mev. in Comment. ad Jus Lub. p. 2. T. 2. art. 4.* Unde de his bonis, quæ extra civitatem sub aliena jurisdictione perpetui usus gratiâ habentur, detractio gabella illi Magistratui non debetur, quia jurisdictionis est fructus, qui regulariter non percipitur de bonis sub aliena jurisdictione sitis, nisi de ejusmodi bonis ex statuto & moribus invaluerit collectas solvi. *Vid. Maximil. Faust. ab Aschaffenberg Consil. 238. Ord. 389. Class. 4. Beat. Mev. ad Jus Lub. p. 2. T. 2. art. 4.* Quo in Jure quoque ipso *art. 2. tit. 3. lib. 2.* ita cautum legitur, & quidem ex æquitate naturali, quia scil. de bonis istis, de quibus ante discessum onera præstita sunt, decima non iniquè exigitur; Unde non absurde *Nachsteuer/ Nachschuß* dicitur.

De alimentorum legato controversa est Dd. sententia; Alii de hoc deberi detractio gabellam affirmant, & quidem (I) *ex l. 68. ad Leg. Falcid.* secundum quam legem nihil legari potest in præjudicium tertii (scil. hæredis.)

Unde

Unde arguunt multò minùs hoc fieri posse in præjudi-  
cium Universitatis vel Reipubl. quin liceret Magistratui  
sine fraude detractionis hanc gabellam exigere. (2) Quod  
munus collectarum ratione possessionis & fructuum po-  
tissimùm expediretur. *l. 27. §. 3. de Usufruct. Klock. de Contribu-  
tut. concl. 22. l. 4.* Alii contrarium statuentes ad alimen-  
torum privilegia confugiunt, & eorum prætendunt im-  
munitatem; quia scilicet sunt favorabiliora quàm litis ex-  
pensæ, *Surd. de Aliment. T. 1. g. 120. n. 10.* nec non solùm piam  
causam concernunt, sed etiam publicam utilitatem respi-  
ciunt, *l. 117. l. 122. de legat. 1.* limò quòd ob insignem favo-  
rem causa eorum ferus agi possit, *l. 2. de feriis.* & quidem,  
ut quicquid alimentorum debeatur, privilegiatum sit &  
creditus Chirographariis præferendum. *Dn. Struv. Ex. 36.  
tb. 28.* Quibus annectunt prægnantes illas rationes:  
(1) Quòd alimenta in subsidium vitæ *l. 5. Cod. de pat. pot.*  
secundum qualitatem & dignitatem personæ dentur.  
*Surd. dict. l. 12. Tr. T. 4. g. 18. n. 1.* (2) Quòd collecta non  
sit exigenda de illis rebus, quæ ad usum proprium & fa-  
miliæ deferuntur, licet ex propriis fundis non percipian-  
tur. *l. 5. C. de Vectig. Struv. Ex. 31. tb. 28.* Et horum sententiæ  
eatenus astipulor, quatenus alimenta necessariam quan-  
tatem non excedunt, de superfluo enim detractionis  
gabellam deberi non dubito, quia favor alimentis à lege  
concessus non extenditur ultra, quàm alimentorum exi-  
git necessitas, quamobrem favoris cessante causâ, favo-  
rem ipsum cessare, non incongruum est. De debitis quo-  
que postea contractis, quàm detractionis gabella deberi  
coeperit, jure tantùm exigi decimam statuit *Beat. Mex. de-  
sis. 161.* nisi forsan creditor civitate magis sit privilegia-  
tus, & non de antè contractis, propter *l. Subsignat. 39. §. 1.  
ff. de V. S. & l. 93. ff. eod.* Nec obstat, quòd collectis & one-  
ribus

ribus Reipubl. præstandis jus prælationis ante credito-  
res alios anteriorem hypothecam habentes leges con-  
cesserint, *l. Satis notum. 4. Cod. in quib. caus. pign. vel hypothec.*  
pro istis enim statim, ex quo jus civitatis accepit civis, e-  
jus bona obnoxia sunt, *l. 1. Cod. in quib. caus. pign. tacit. con-  
trah. & privilegium lege datum.* Ast in casu emigratio-  
nis & translationis bonorum ex eo tantum tempore de-  
biti incipit ratio, quando bona ipso actu transferenda  
veniunt. Unde deficiente ratione legis, deficiat neces-  
se est privilegium lege concessum. Idem quoque de re-  
bus alienatis, postquam detractionis gabella deberi cœ-  
perit, sentiendum esse, recte putat propter identitatem  
rationis *Maximil. Faust. ab Aschaffenberg in Consil. pro arario  
Clas. 5. Consil. 58. Ord. 219.*

Tantum de personis huic juri subjectis & rebus, de  
quibus solvere tenentur. Seqvuntur personæ, quæ vel  
naturâ vel lege ab hoc onere exemptæ, & res, quæ hoc o-  
nere non gravantur. Personæ ipso Jure naturali immu-  
nes sunt (1) Principes, Comites & cæteri Status Imperii,  
qui Superioritatis jure gaudent. Est enim contra natu-  
ram, superiori onera imponi ac imperari ab inferioribus,  
cùm nedum inferiori in superiorem competat imperium.  
*l. 4. de Recept. Arbit. l. 3. §. 4. ad Sct. Trebell.* Quamobrem  
Princeps eo in loco, ubi jus detractionis viget, hæres in-  
stitutus hujus gabellæ impositione gravari non debet.  
*arg. l. 5. C. de Vectigal. Berlich. p. 3. Concl. pract. 52. n. 27* (2) Ec-  
clesia, ejusq; res. De Ecclesiæ enim immunitate partim  
personis, partim rebus Ecclesiasticis de jure naturali  
concessa extat *l. 5. Cod. de SS. Eccles. nec non Authent. item  
nulla. Cod. de Episcop. & Cleric.* Et in specie quæ Ecclesiæ  
dantur bona, DEO data videntur, & sic effici dicuntur  
Sancta Sanctorum, secundum *Schurff. in Consil. 44. n. 5.*

D

Cent.

*Cent. 1. unde extra commercium nostrum nullius in bonis sunt, neque æstimationem recipiunt. §. 8. ff. de R. D. l. 1. pr. l. 6. §. 2. l. 9. §. final. de Rer. divis. l. 21. Cod. de SS. Eccles. Ut exinde non sine injuria ad usus humanos transferantur, c. semel. DEO. 51. de R. 7. in 6. sed potius ab iis maneat exemta, juxta l. 49. §. 2. Cod. de Episc. & Cleric. Authent. Similiter. Cod. de Cleric. Novell. 131. c. 11. & hæc immunitas quoque ad Nosocomia, Xenodochia, Orphanatraphia eodem jure extenditur. l. 32. l. 49. §. 3. Cod. de Episc. & Cleric. Novell. 69. c. 4. §. 1. arg. c. 4. X. de religios. domib. Personas Ecclesiasticas quod attinet, illarum immunitas exprimitur in Authent. Item null. Communitas. Cod. de Episc. & Cleric. l. placet. Cod. de SS. Eccles. Ordinat. Ecclesiast. Pomeran. Tit. von der Freyheit und immunität der Kirchen Diener. fol. 169. §. Den Kerckens Dener. & gaudent iisdem privilegiis, quibus Ecclesiæ ipsæ. Hakelman. in Disputat. 7. Can. 9. tb. 23. in princ. Nec non potius honorandi veniunt Clerici, quam gravandi, secundum c. Eccles. 17. q. 7. ceu selectus DEI populus & peculium. Exod. 19. v. 5. Num. 8. v. 14. Dn. Richt. D. 7. ad Authent. habitâ fol. 170. Horum namq; injuria pertinet ad Christum, cujus legatione funguntur, c. accusatio. in fin. 2. q. 7. ut exinde non absurdè DEO decedere videatur, quod illis detrahitur. Coler. de Process. execut. p. 1. c. 3. n. 2. 26. Ad quod accesit, quòd DEUS ipse Levitas ab impositione capitationis exemerit. Num. 1. v. 2. 47. Idem quoque de Clericorum viduis sentiendum, quia defuncti sunt imago, & quamdiu in viduitate perstant, perinde habentur, ac si adhuc essent in primo matrimonio, l. 8. de Senator. l. final. Cod. de bon. matern. quamobrem immunitatem maritis competentem eorum viduis quoque competere, non absurdè statuit Cothman. Respons. Academ. 15. & 26. Nec non de illorum liberis, l. 2. §. ult. Cod. de Ep. & Cleric. l. 6.*

*l. 6. l. final. Cod. de Profess. & Medic. quia una sunt cum patre, persona, l. final. Cod. de impub. & al. substitut. & pars corporis paterni. l. 22. Cod. de Agricol. & Censit. Unde quoque eodem cum patre de jure gaudent privilegio. l. final. Cod. de Fabricens. Quod ampliatur procedere in liberis non Clericis, per *Ordinat. Ecclesiast. dict. loc.* & multò magis in liberis Clericis parentibus civibus succedentibus. Nec obstat, quòd *Ordinatio* illa non loquatur in specie de onere detractionis & de hæreditatibus civium; Generalia enim generaliter accipienda sunt, modò certum sit, veram esse generis speciem. Jam verò ex *B. Mevii decis. p. 2. decis. 163. n. 1.* constat, hanc gabellam detractionis esse speciem Tributi, unde nullum de hoc est dubium. Et tantum de personis & rebus naturâ ab onere detractionis exemptis.*

Personæ lege ab hoc onere exemptæ sunt Professores Academicarum. *l. 6. l. 11. Cod. de Profess. & Med. Cöbm. Resp. Academ. 1. n. 142. & 415.* Æquiparantur enim horum causæ piis, *Alciat. in l. privilegia. n. 7. Cod. de SS. Eccles.* ut exinde eadem, quæ Clericis, immunitas non absurdè illis tribuatur, quos majori quàm Clericos privilegio ac favore dignos censet *Horat. Luc. de Privileg. Scholar. p. 2. in princip.* Quod etiam ampliatur procedere in aliis Doctoribus & Advocatis, per *d. l. 6. Cod. de Profess. l. 14. de Advocatis diversor. Judicior.* quia & ipsi instruendo Clientes satis docere intelliguntur, *arg. l. 2. §. Juris Civil. de O. J. & S. final. in Proem. Instit.* nec non rem ad praxin deducunt, & in opere ipso & veris & fictis quæstionibus versantur. *Klock. de Jure Vectig. Concl. 33. l. 6.* Nisi per consuetudinem loci contrarium fuerit introductum, tunc enim Advocati, quamvis Doctores sint & Licentiati, jurisdictioni civitatis & sic consequenter huic juri obnoxii fieri habent necesse, si



domicilium ibidem constituere & à civibus tolerari ve-  
lint; Quam consuetudinem in maritimis hisce civitati-  
bus observari, quotidiana testatur experientia. (2) Illo-  
rum viduæ & liberi, per suprâ allegatas leges & rationes.  
(3) Studiosi. Horum namq; immunitas hoc casu nullam  
admittit limitationem. *arg. l. 5. Cod. de Vectigal. Authent. Ha-  
bita. Cod. Ne fil. pro patr. verb. Veniant & securè in illis habitent.*  
Si igitur Studiofo cuidam hæreditas vel legatum obve-  
nerit, legatum illud saluum exigere potest, non deductâ  
quotâ vel gabellæ vel alterius impositionis nomine pro  
jure detractionis solvenda. *Matth. Stephan. l. 3. p. 2. c. 10. n.*  
*36. de Jurisdictione Speckhan. cent. 3. cl. 1. q. 14. n. 12.* Unde  
quoque non sine ratione bona Studioforum in Galliis  
morientium Fiscus regius non capit contra mores rece-  
ptos, uti ex Rebuffo notat *Goth. ad Authent. Omnes peregrini.*  
*Cod. commun. de Success. vid. Dn. Sæv. Tract. Jurid. Inaug. de*  
*Jure singulari cap. 14. memb. 3. n. 11.* Quia scil. Studiofis reli-  
cta bona liberalibus artibus destinata videntur, cum  
semper de his præsumatur, quòd in studia sua sint versuri.  
Immunes porrò ab hoc onere sunt liberi, parentes &  
conjuges. Liberatorum immunitas satis convincitur *l. 4-*  
*nic. Cod. de impon. lucrat. descript. l. 10. l. 11. de lib. & posthum. hæ-*  
*red. Instit. §. 2. Inst. de Hæred. qual. & diff. l. 2. §. ult. de bon. libert.*  
& quidem propter continuationem domini; nec non  
statuto generali; hoc enim illos non comprehendit. *Vid.*  
*Beat. Dn. Mæv. Decis. 242. p. 3.* Cui adde verb. *Plinii in Pane-*  
*gyr. ad Trajan. Corbm. Respons. Academ. 19. n. 58.* Et sic quo-  
que à Nobilissimo Jctorum Jenensium Ordine Anno  
1603. mens. Mart. responsum est *Hinrico Mansfeldten zu*  
*Lübeck: Als ihr uns berichtet/ daß/ nachdem ihr auß ewrer sehl.*  
*Mutter verlassenen Erbschafft ewer auch angefallenes Antheil*  
*von Königsberg auß Preussen habt abfodern wollen/ ein Ehrbar*  
*Rath*

Nach daselbst/ vermöge eines privilegii, dessen Copen ihr übers-  
schicket/ des vierdten Pfennings von euren Antheil sich anzumassen  
unuerstanden. Wann ihr dankt/ ob ihr dessen befugt / unsere  
Rechtsberichtung gebethen/ D. S. W. B. R. Wann ihr gleich euch zu Lübeck  
befreyet / auch daselbst Bürger-Rechte gewonnen / dennoch weil ihr zu  
Königsberg geboren und erzogen/ auch noch jehiger Zeit euren Vater  
daselbst am Leben habet/ und erwehntes privilegium von frembden  
ausländischen Nationen redet/ auch in angezogener Stadt Frankosen/  
Engeländische/ Schottische und andere frembde Nationen sich wegen  
ihrer Handlung in grosser Menge auffhalten. So ist mehr gedachter  
Nach/Kraft obbenantens privilegii den vierdten Pfennig von euch zu  
fodern nicht befugt / sondern / da er sonst nichts erhebliches  
dawieder einzuwenden / wird euch ewer vollständiger Antheil der  
Mütterlichen Erbschafft ohne Abkürzung des vierdten Pfennings  
billig gefolget von Rechts wegen. *Vid. Dn. Richter. in Praelect. ad l. ult. Cod. de Edict. Div. Adrian. toll. Id verò procedere negant I Cui in casu si lex vel mos speciatim liberis & parentibus hujus gabellæ præstationem imponat. Vid. Beat. Mey. in Decis. 242. part. 3. hanc enim consuetudinem servandam esse arguunt ex argumento à simili sumto; quod scil. successioni parentum & liberorum modus statui posset per statuta & mores. De quo communiter allegatus reperitur. Forster. 2. de Succ. ab Intestat. l. 2. q. 1. Imò legitimâ minùs. Mynsing. 5. Observ. 34. Gail. 2. Observ. 122. Unde quoque non absurdè pars decima pro Republ. detrahi posset. Et observatur ex hoc principio istæ generali statuto contraria consuetudo in terris Marchicis, ubi, quotidianâ experientiâ teste non solum parentes in casu translationis hœreditatum liberorum gabellam sanc solvere coguntur, sed etiam liberi de hæreditatibus parentum quoties accidit, ut alio sint.*

transferendæ secundum generalitatem textus *in consuet.*  
*March. p. 3. T. 8. §. ibidem.* Wer Kinder Geld oder Erbgut von  
dem Racht/ oder auß dem Gerichte/ darinnen es lieget in frembde  
Gericht wegbringen wil/ der soll Abschoss geben. *Æquius qui-*  
*dem videtur Maximiliano Faust. ab Aichaffenb. in Consil. pro*  
*arario Consil. 48. Class. 10* ejusmodi consuetudinem, quâ hæc  
liberi falcidia gravantur, non tolerari quamvis jura mu-  
nicipalia & mores successiones mutare & conformare,  
imò legitimam ipsam minuere possint, quia in liberis &  
suis hæredibus continuatio domini evidentior apparet.  
*Leg. in suis 11. de lib. & posthum. l. qui in alien. 6. §. interdum de ac-*  
*quirend. vel omittend. hereditat.* Mihi verò in casu si alicubi  
mos hic fuerit introductus, ut liberi huic oneri essent ob-  
noxii, ejusmodi consuetudo tantum limitanda videtur,  
ut istius observantiæ tunc demum sit locus, quando libe-  
ri, si in patria civitate fixam sedem constituissent, civili-  
bus oneribus futuri fuissent obnoxii, in casu verò si pro-  
pter certum aliquod privilegium futuri fuissent immu-  
nes non deberi ab illis in casu translationis gabellam  
hanc detractionis. Et eadem pariter immunitas ad pa-  
rentes porrigitur, quia posteris non major quàm majori-  
bus debetur honor & quidem maximè in iis, quæ nituntur  
æquitate & quorum eadem ratio. Est vero rationis iden-  
titas in eo, quia tam parens quam filius non lucrosam sed  
luctuosam potius portionem *l. 28. Cod. de Inoff. Testam. &*  
*duræ fortunæ solatium percipit l. 4. in fine Cod. ad Sct. Tertul.*  
Et faciunt hic, qui Plinius in Panegyrico de constituo-  
nis æquitate, quâ vicesimæ vectigal parentibus remittit-  
tur, eleganter commemorat. Egregiè (inquit) Cæsar  
quod lachrymas parentum vectigales esse non pateris,  
bona filii pater sine diminutione possideat, nec socium  
hæreditatis accipiat, qui non habet luctus. Nemo recen-  
tem

tem & attonitam orbitatem ad computationem vocet,  
cogatq; patrem, quid reliquerit filius scire. Et rursus;  
dignum ergo Imperator mansuetudine tuâ minuere orbi-  
tatis injurias, nec pati quemquam filio amisso insuper af-  
fici alio dolore &c. & hanc sententiam putat esse verissi-  
mam justissimam & æquisimam. *Cothm. Respons. Academ. 19.*  
*n. 58.* Nec obitat, quod non ex eadem ratione, qua liberi,  
ad successionem vocentur, parentes cum liberi naturâ  
simul & communi parentum voto, parentes verò ex mi-  
seratione turbato mortalitatis ordine admittantur. *l. 7. de*  
*bon. damnat. l. 7. §. 1. und liber. l. 15. de Inoff. Testam.* Hic enim  
non attendendum venit, an naturâ vel ratione miseratio-  
nis ad hæreditatum vocentur, sed quid hæredes percipiant,  
Luctuof. scil. port. ceu duræ fortunæ solatium.  
Quamvis casum, si contrarium ex consuetudine loci ob-  
servetur multum iidemq; famigeratissimi excipiant ac de-  
monstrent Jcti, quod scil. ejusmodi casu non possint de  
injuria conqueri parentes; mihi tamen arridet limitatio,  
quod non procedat, si parens hæres propter certum ali-  
quod privilegium in loco, unde bona transportanda ve-  
niunt ab hac detractionis gabella immunis est. Si igitur  
parens Professor filio civi sit hæres, isthæc hæreditas hoc  
onere in casu translationis non gravatur. Sic doctor in  
casu, si in loco defuncti filii, quando ibidem fixam con-  
stituisset sedem, ab exactationibus civilibus futurus fuis-  
set, immunis à jure detractionis est, quamvis non est  
Professor. Id enim maximè in hoc Jure venit attenden-  
dum, an etiam Magistratui Jus collectandi in bonis com-  
petiturum fuisset, si hæres peregrinus domicilium ibi  
constituisset; Cessat enim hoc casu hujus gabellæ ratio,  
quia scil. translatio bonorum Magistratui hoc casu non  
foret nociva, cum in casu, si peregrinus hæres fixam se-  
dem

dem in loco defuncti elegisset, nec opus fuisset transportatione bonorum, nihil ex bonis in utilitatem publicam percepturus fuisset propter privilegium; Cessat igitur quoque ratio illa, quia scil. in ipsa exportatione tutelâ Magistratus fruitur; per privilegium enim gratis frui concessum est. Conjuges quod attinet, pari immunitate fruuntur, de quorum singulari jure videatur *Oldendorp. de Jur. singul.* quamvis enim bona retineant, tamen, quia illis ceu luctuosa propria manent, propter eandem rationem nulla de his bonis in casu translationis debetur gabella, uti expressè testatur Consuetudo March. de quâ sequentia extant: Das überbleibende Theil da es gleich das Gut behält / und auß den Gerichten zeucht / ist Abschoss zu geben nicht schuldig / denn es nicht Erbe / oder Kindere Geld / sondern sein eigen Gut behält und wegnimt. p. 3. T. 8. § 5. add. Schepel. ad Consuetud. March. Hoc verò limitatur procedere, si contrarium alicubi observetur, nisi forsan sint viduæ Professorum vel aliarum personarum privilegiatarum, vel etiam dos veniat exportanda, hujus enim causa favorabilis est & privilegiata, ut, si consuetudine vel statuto generaliter liberorum bonis exportandis detractionis gabella imponatur, non intelligatur dos comprehensa. *Vid. Consuetud. March. p. 3. tit. 8. §. 1.* Si verò per consuetudinem introductum, ut etiam de dote detractionis exigatur vectigal, ejusmodi consuetudinem justam esse statuunt Jcti, quia salus publica privatorum commodo ubique venit præferenda, modò æquitatis limites non transiliat Magistratus tam ratione quantitatis, quàm ratione personarum privilegiatarum. Et tantum de Objecto negativo. Lubet verò annectere casus quosdam, quibus extraordinariè detractionis gabella non debetur uti. (1) Si hæres vel legatarius hæreditatem non dividat,  
nec

nec portionem sibi debitam verè ac realiter de uno Judici-  
cio in aliud transportet, sed ibi relinquat & fructus quo-  
tannes exinde percipiat. *Cöppen. decis. 5. n. 10. Berlich. part. 3.  
Concl. Pract. 52. n. 89.* (2) Si in loco hæreditatis vel lega-  
ti aliquandiu permaneat, ibiq; domicilium constituat; &  
Licet enim hoc casu postea emigret, de ista hæreditate  
solvere hanc gabellam non teneri discedentem, quoniam  
hæreditas post aditionem nomen amittit, & fit illius, qui  
succesit, proprium patrimonium. *l. 10. §. 2. de vulg. & pupill.  
substit. Schepelitz ad Consuet. March. p. 3. T. 8. §. 21.* Quod ve-  
rò mihi limitandum videtur in casu, si emigrans fuerit ci-  
vis vel incola & oneribus civilibus obnoxius; tunc e-  
nim quamvis non propriè detractiois, tamen emigra-  
tionis debetur gabella. (3) Si Legatarius de hærede,  
confidens renunciât legato, vel curet Apocham priva-  
tam super debito legato fieri. *Berlich. dict. loc. n. 91.*

Forma hujus juris est vel essentialis, vel accidentalis.  
Essentialis est in eo, ut fiat detractio de hæreditate civis  
defuncti peregrino hæredi delatâ, & idcirco in aliud ju-  
dicium transferendâ, modò ejusmodi hæreditas propter  
concessum peregrino hæredi privilegium ab hoc onere  
non sit exempta. Accidentalisis est in eo, quatenus scil.  
vel ex consuetudine, vel præscriptione, vel privilegio &  
concessione superioris inferiori Magistratui competit.  
Hic verò notandum, quòd, uti cuilibet Magistratui indi-  
stinctè Jus hoc detractiois est acquisibile ex privilegio  
vel concessione Superioris, ita non indistinctè cuilibet  
Magistratui acquisibile sit præscriptione, sed quatenus  
Magistratus est ejus capax, quæ capacitas in possessione  
omnimodæ jurisdictionis, cujus fructus ex moderno  
hæc gabella computatur usu. *Cotbm. Resp. Academ. 19. n. 11.*  
Unde si Magistratus Jurisdictionem omnimodam habet,

E

Jus

Jus quoque percipiendorum ejus fructuum habere creditur, & quos nondum percepit, eorundem percipiendorum Jus per præscriptionem acquirere potest; Quodcunque verò lege quis resistente & contra naturam possidere nequit, id neque præscribere valet; Atqui ex usu moderno constat, non competere Magistratui Jus deductionis, nisi habeat jurisdictionem, cujus est fructus. E.

#### CAPUT IV.

*Insignes hujus Juris effectus delineans & remedia, quæ pro hac gabellâ consequendâ competunt.*

POST causas explorandi restant insignes hujus Juris effectus. Qui sunt vel generales, vel speciales; Generalis ejus effectus est, ut ne Principi fas sit immunitatem alicui privato ab hoc onere concedere in præjudicium Universitatis, ut scilicet durius alii cives premantur, *vid. Beat. Dn. Mev. in Comment. ad Jus Lubec. l. 7. Cod. de prec. Imper. offerend. nisi forsan in sui ipsius præjudicium.*

Speciales sunt vel lucrativi, vel onerosi. Lucrativus est vel ex parte Universitatis, vel hæredis bona exportaturi. Ex parte Universitatis est, ut portionem aliquam bonorum ab hæredibus transferendorum in utilitatem publicam non modò percipiat, *Cothm. Resp. Academ. 19. n. 3.* sed etiam in casu, quando difficultas quædam consequendi illam portionem existit, tam ordinariis quàm extraordinariis Magistratui, qui Reipubl. vel Universitatis sustinet curam, succurratur remediis ordinariis, uti (1) Conditione ex lege, privilegio & moribus, si vigore legis, privilegii vel consuetudinis fuerit introductum. *Videatur Dn. Struvius Ex. 15. tb. 33.* (2) Actione hypothecaria, si Fisco vestigal hoc sit solvendum; Fiscus enim semper Jus pignoris habet in bonis debitorum, *l. 10. de manum.*

*de manum. l. 46. §. 3. de Jure Fisci. Köppen. decis. 28. n. 18.* vel si tacitam hypothecam in casu translationis Magistratus habet in bonis immobilibus. (3) Actione utili confessoria adversus eum, qui facultatem hanc detrahendi negat, *Schneider. in §. 2. n. 10. l. de act.* ad instar enim servitutum pro quovis jure incorporali confessoria & negatoria agere permissum est. *d. §. 2. l. de action.*

Extraordinariis, uti (1) arrestis adversus morosos, donec solutio subsequatur. *Gail. de arrestis. cap. ult. num. 12. Webner. Pract. Observat. verb. Nachsteuer. Mew. tract. de arrest. Imp. c. ult. n. 12.* (2) Multa. *Gail. 2. Observ. 52. n. 20.* Introducto enim per consuetudinem decimationis Jure, videtur quoque introductum & concessum Jus exigendi & consequenter faciendi omnia illa, quæ ad exactionem pertinent, seu sine quibus exactionis nullus foret effectus, per *l. 2. ff. de Jurisd. vid. Klock. de Contribut. Concl. 64.* (3) Executione, ad quam licet non ita facile sit procedendum, cum via facti exitiosum habeat exitum, *Cothm. Resp. Academ. 8. n. 13.* tamen si emigraturi vel bona exportaturi hæredes hoc vectigal detractionis Magistratui solvere renitantur vel nolint, paratam ex leg. municip. consuetud. vel præscript. habet executionem, *arg. l. 5. Cod. de Fer. l. 1. Cod. de Cap. & dist. pign. l. 7. Cod. de exact. tribut. Novell. 17 c. 8. Gail. 1. Obs. 20. n. 6.* modò non ex abrupto, sed post causam cognitam & terminum solutionis constitutum in effectum deducatur, per *l. 2. Cod. de Indict.* (4) Mandatis executorialibus, *vid. Mind. Process. lib. 2. c. 67. n. 9.* & hoc propter rationem illam politicam, ne publicarum functionum commoda, quæ Reipubl. debentur, callidis debitorum artibus differantur, per *l. ult. Cod. quor. appell. non recip.* Unde omnes decimarum causæ summario tractantur processu, ita ut nullo juris servato ordine fieri possit.



mandatum de solvendo, neque appellationes in ejusmodi causis admittuntur, (ut in causis tributorum fieri testatur experientia) per *l. abstinendum. & leg. final. Cod. quor. appell. non. recip.* (5) Ut Magistratus ex officio contra non solventes decimas inquirere, illosq; ad solvendum compellere nemine petente possit.

Effectus ex parte Magistratus onerosus est, ut pro accepta detractio gabella reneatur danti ad præstandam securitatem, ut bona vi jurisdictionis eò tutius contra injuriam latronum & grassatorum transportare liceat.

Lucrativus ex parte hæredis peregrini est, ut in casu illatæ injuriæ à latronibus Magistratum sibi tacitè ex quasi-contractu ad tutelam vel defensionem habeat obstrictum, & in casu denegatæ defensionis æquè agere possit contra Magistratum. *Maximil. Faust. ab Aschaffenberg in Consil. pro erario Cl. 3. Ord. 105.*

Onerosus ex parte hæredis peregrini est, (1) quòd in defensionis tum præstitæ tum præstandæ (ut scil. securum illi præstetur iter) redhostimentum detractio hanc onerosam pati de hæreditate transferenda habeat necesse. (2) Ut in casu contracti debiti, postquam detractio gabellam debere cœperit, nihilominus de debito teneatur, quamvis illud non sit translaturus; habet enim detractio jus prælationis hoc casu & quidem propter rationem illam politicam, quia Magistratui in bonis reliquis, quæ deducto ære alieno ante debitum detractio contracto restant, competit hypotheca & jus arrestandi. *Vid. Gail. de Arrest. c. ult. n. 12. nec non Receß. Imper. de Anno 1594. S. Also auch so der Nachsteuer halben gegen Unterschänen arresta angeleget werden/ sollen dieselbige in Erwegung der Unterschänen Güter nach Aufweisung der Rechten tacitè oder sonsten alten Gebrauch nach vor männiglich darumb vers*  
haffet /

hæretur hypothecaret und affectaret seyn. Adde Berlich. p. 3.  
Concl. 52. n. 86. Unde hæc hypotheca ceu prior meritò po-  
sterioribus hypothecis & maximè chirographariis debi-  
tis postea contractis præfertur. (3) Ut in casu, si in lo-  
co domicilii jus detractionis est in usu, hæres peregrinus  
teneatur ad hujus gabellæ solutionem, quamvis in loco,  
unde translaturus est hæreditatem, jus hoc non est in u-  
su; & quidem ex Jure retorsionis, quod *Ulpianus in lege 1.*  
*quod quisque Jur. in alt.* propter æquitatem maximoperè  
commendat, nec non Jus Canonicum *inc. 1. dist. 10. c. 2. dist.*  
*9. c. 6. X. de Const.* ubi æquisimam hujus Juris rationem in-  
digitat; Imò quod divinâ illâ stabilitum in sacro Codice  
*Matth. 7. 12. L. 6. 31.* reperitur regulâ: Quod tibi non vis  
fieri, alteri ne feceris. Si igitur de Titii Gryphiswal-  
diæ (ubi detractio hæc in usu) mortui hæreditate transfe-  
renda, Cajus civis Argentinensis, (quæ civitas Jus de-  
tractionis non exercet, teste *Besoldo in Diss. de Jur. & Impe-*  
*rio Civitat. tb. 5.*) debitam solverit gabellam, ex hoc jure  
Cajo mortuo Mevius civis Gryphiswaldensis illius hæ-  
res de hæreditate tenetur, quamvis in loco defuncti non  
sit in usu. *Vid. Dn. Struv. in Dissertat. sua Inaugurali tb. 61. 57.*  
ubi solidissimum firmissimumq; hujus Juris ponit prin-  
cipium.

#### CAPUT V.

##### *Modos amittendi delineans.*

Examinate sic Jure detractionis secundum causas con-  
stituentes, progredimur ad contrariorum delineatio-  
nem, quæ sunt causæ perimentes. Amittitur autem  
(1) Remissione; Jus enim suum remittenti non datur re-  
gressus. *l. 14. §. Si venditor. 9. de Aedilit. Edict.* Remittitur  
autem vel pacto, quod ceu lex privatorum contrahentes

non minus quam lex subditos adstringit. *l. 10. Cod. de Pact.*  
*l. 1. ff. de Pact. l. 6. 7. §. adeo. ff. eod.* Est enim nihil tam congruum  
humanæ fidei, quam ea, quæ inter privatos placuere,  
servari. *l. 1. ff. ibid.* Unde irrevocabilis remissionis, quæ  
fit per pactum, est effectus, ut, de qua inter paciscentes  
convenit remissione, illi minimè sit integrum contrave-  
nire, *l. 29. Cod. de Pact.* vel per renunciationem, cuiuslibet  
enim Juri suo pro se introducto renunciare licet. *l. 29. Cod.*  
*de Pact.* Cujus remissionis æquè insignis est effectus, ut  
scilicet renunciatione factâ nulla ratio permittat ad Jus de-  
tractionis regressum, per *l. 4. Cod. de Pact.* Est verò de  
remissione notandum, quòd sit stricti Juris, ut non ultra  
specificata extendatur, sed ad illos contractus, res seu  
personas sit coarctanda, quibus consensum propriè ac-  
commodavit Magistratus, per *leg. 21. Cod. ad SCt. Vellejan.*  
Persona enim extranea nunquam intelligitur in contra-  
ctu, nisi fuerit expressa. *l. 126. ff. in fin. de Verb. Oblig.*

(2) Quidam quoque per pactum declaratorium,  
(quod declarat immunitatem à decimationis onere,  
quam dubiam fecerat conjectura quædam) amitti jus de-  
cimationis putant, quod verò absurdum videtur, quia de  
cujus Juris competentiam adversus aliquem adhuc dubita-  
tur, id propriè non habuisse, nec sic consequenter amitte-  
re creditur, *arg. l. 83. ff. de divers. R. J.* nisi competat actio,  
quæ experiri possit contra hæredem immunitatē ab hoc  
onere affirmantem, qui tamen reverà immunis non est.

(3) Extinguitur jus detractionis privilegio, ex quo  
secundum *Beat. Mevium in Comment. ad Jus Lub. p. 2. tit. 3. art.*  
*2. n. 18.* competit civibus immunitas, ut contra privile-  
gium detractioni non sit locus, quia privilegium semel  
concessum irrevocabile est, (nisi cesset privilegii causa  
final.) modò non sit hoc in casu generale & à Principe vel  
summo

summo Magistratu datum; ejusmodi enim privilegii concessio in superioris tantum præjudicium facta censetur, ut quando ipsi solvenda est collecta, tantum Principi detrahatur de summâ communitatis quantum facit portio privilegiati. *Vid. Mev. in Comment. ad Jus Lubec. dict. loc.* Non verò in præjudicium universitatis ut exempto uno aut altero oneribus alii durius premantur. *ibid:* nisi in ejusmodi dignitatem propter singulares qualitates & eruditionem fuerit evectus ut ipso jure competat & sine petitione Princeps concessurus fuisset privilegium, quia forsan detrimentum illud municipii hoc casu Majori vel ipsius vel totius Provinciæ & Reipubl. utilitate pensatur. Sed de his amittendi modis notandum, quod tunc demum firmum ac irrevocabilem sortiantur effectum, si fuerint probati, quia sunt facti.

Perimitur quoque Jus hoc detractionis præscriptione, *vid. Mev. in Comment. ad J. L. p. 2. tit. 3. art. 2. n. 18. Maximil. Faust. ab Aschaffenberg in Consil. pro arario Claß. 3. Ord. 103. & quidem per 40. annorum spacium, exemplo decimarum Ecclesiasticarum seculares decimas amitti posse, rectè statuit Clariss. Dn. Laurent. Rung in Inaugurali de hac materia Dissertatione, si Magistratus exercendi occasionem habuerit; quia Ecclesia & Respubl. eodem jure utuntur. Amittitur quoque per bannitionem, quando scil. Universitas bannum Imperiale patitur; Banniti enim, quæcunque à Magistratu summo concessa habent, Jura & privilegia, amittunt, ceu indigni, ut reverà sic civiliter sint mortui. *Vid. Gail. 2. Observat. 86. n. 10.**

## CAPUT VI.

### De Gabelle hujus Quantitate & Qualitate quoad Monetam.

Post

Post causas constituentes & perimentes cognitās de  
vestigalis quantitate & monetæ qualitate non absur-  
dè quædam annectimus. Quantitatem quod concernit,  
illam non ubivis eandem, sed variam esse secundum va-  
rias locorum consuetudines constat; Cùm vel deci-  
ma, vel quarta, nonnullibi tertia vel decima quinta,  
der zehende / vierde / dritte oder funffzehende Pfenning /  
vel plus vel minus hæredibus bona exportantibus de-  
trahatur. *Vid. Rauchb. p. 1. q. 15. n. 1.* Sic in Marchia Bran-  
denburgensi decima quinta pars fortis solvitur, secun-  
dum *Schepelitz. ad Consuetud. March. p. 3. T. 8. S. 4.* In Palati-  
nato & Electoratu Rheni detrahatur decima, laut *Chur  
Pfalz Lands Ordnung Tit. 7. daß die Nachsteuer sey der zehende  
Pfenning.* nisi in quibusdam præfecturis der Leibeigene  
schafften specialis sit consuetudo. *Vid. Webn. Pract. Observ. in  
verb. Nachsteuer. pag. 518.* Sic Francofurti ad Moenum,  
Lubecæ, Hamburgi, Bambergæ de hæreditatibus ex-  
portandis decima pars solvitur. *Webn. dict. loc.* Quam ga-  
bellam quoque Pomeraniæ civitates nonnullæ (quæ Jus  
Lubecense statutarium sibi fecere, uti loqui amat *Beat.  
Mev. Comm. ad J. Lub. q. 2. n. 11. i. c.* So mit Lübischem Rechte  
gemidmet) hæreditatem transferentibus imponunt. Alias  
gabellæ hujus quantitates locis, quorum statuta in mani-  
bus nostris non sunt, usitatas cujusvis Provinciæ vel Ci-  
vitatatis statuta noscenti relinquimus. Quoad Qualita-  
tem, in qua scil. moneta antiqua vel nova vestigal hoc  
detractionis solvendum sit. Secundum *Cöppen. decis. 5.*  
attendendum venit, (I) an lex vel constitutio vel statu-  
tum eo ipso momento, quo constituitur, immediatè abs-  
que alio contractu vel actu obligationem solvendæ pe-  
cuniæ formet, & hoc casu attenditur valor, qui currit  
tempore constitutionis, per *text., c. 20. de Cens. l. 5. C. de  
suscept.*

*suscept. l. 3. in pr. & ib. Gloss. C. Comm. de Leg.* (2) An medi-  
tè, interveniente scil. aliquo contractu vel alio actu, cu-  
jus occasione obligatio pecuniæ solvendæ inducitur, &  
tunc quoad monetæ valorem attenditur tempus facti vel  
contractus ex statuto vel constitutione obligationem  
constituentis, nisi post constitutionem monetæ mentio-  
nem facientem antiquus valor expressè constituatur.  
(3) An lex vel statutum pecuniæ mentionem faciens obli-  
gationem pecuniæ nec mediatè nec immediatè formet,  
sed tantùm de ea pecunia certi quid disponat, tunc valor  
aurei secundum tempus statuti vel constitutionis atten-  
ditur, secundum *Cæppen. d. l. n. 16.*

## MEMBR. II. De Jure Emigrationis.

### CAPUT I.

Cognito sic jure detractionis secundum causas tam  
constituentes quàm perimentes, cognitâq; vectigalis  
quantitate progredior ad jus emigrationis; Et, quia hoc  
jus cum jure detractionis in plurimis convenit, ut cui scil.  
Magistratui, quo jure, adversus quos competat, qui sint  
exempti, quæ bona sint obnoxia, quis ejus effectus, quis  
denique interitus, ex præmissis in membro primo de fa-  
cili pateat, Juris hujus singularia modò sum delibatur.

Definitur, quòd sit emigrandi aliòq; domicilium  
transferendi facultas, post solutam emigrationis gabel-  
lam demùm libera.

De hoc igitur Jure pro (1) Singulare hoc notandum  
est, quod cum utilitas tributariæ præstationis hoc ipso  
minueretur, *vid. Groz. de Jur. P. & Bell. l. 2. c. 5. n. 24.* pro-  
pterea ita fuerit prohibitum, ut neque occasione incola-

tus alibi acquisiti tolli vel mutari domicilium originis potuerit, per *l. 4. §. Cod. de Munip. originar. Gail. 2. Obs. 36. n. 11.* & quidem propter naturalem & politicam illam rationem, quia scil. de jure naturali quis juxta DEUM Patriæ vitam debet, quod per incolatum, qui tantum est juris civilis, mutari non potest. Unde arguunt, quod, uti non sibi soli, sed & Patriæ vivere de jure naturali quis habet, necesse, ita quæ quis acquisivit, non sibi soli, sed & in Patriæ utilitatem & necessitatem acquisivisse non absurdè crederetur, ut sic propter commodum proprium alicui non fuerit integrum domicilium originis mutare, quia quod societati expediebat, privati hominis commodo prævalebat, per *l. 6r. §. 5. pro Soc. Novell. 30. c. 1.* Quod & hodiè usitatum est in Moschovia, *vid. Grot. d. l. nec non Schottis, Anglis. Vid. Arum. ad Aur. B. Disc. 6. fol. 266.*

(2) Quod ex generali Germaniæ consuetudine contrarium observetur, ut scil. non teneantur cives, qualescunque sint, invitim in societate permanere, sed jus renunciandi & domicilium aliò transferendi habeant, quamvis sint originarii, *vid. Gail. 2. Observ. 36. n. 10. Merov. ad J. L. p. 1. fol. 181.* quod & procedit dissentiente Magistratu, per *l. 5. §. de capt. & posth. revers. R. A. zu Augspurg de Anno 1555. §. Wo aber. Gail. 2. Observ. 36.* & quidem propter naturæ beneficium, quia scil. natura hominem ad eò libertate frui voluit per concessum totius orbis dominium, ut liberè emigrare, vacuum sibi terræ particulam occupare & speciatim tribuere valeat. *Vid. Dn. Struvium in Syntagm. J. Feud. c. 1.* Id verò limitatur (1) si malitiosè fiat emigratio, per *l. ordine 15. §. pen. ad Municip. l. 1. Cod. de Incol. Grot. de J. Bell. & P. l. 2. c. 5. n. 24.* (2) Si per statuta & mores naturali libertati in utilitatem publicam aliquid fuerit derogatum, *Bodin. l. 1. de Repub. c. 36.* ut scil. emigraturi gabellam hanc emigrationis

tionis, Germanicè *Nachsteuer/ Abfahrt* dictam, de omnibus suis bonis Magistratui in defensionis redhostimentum solvant, *Gail. 2. Obs. 36. n. 10.* quod adeò ampliatur procedere, ut gabellâ hac non solutâ domicilium non intelligatur translatum, neque juri civitatis renunciatum, & licet discesserint, tamen ceu cives ad onera civitatis sustinenda teneantur, neque minùs eorum bona obligata manent; Nudus enim discessus cives à civili obligatione non liberat, nisi legitimè præviâ scil. renunciatione & solutione gabellæ usitatae fuerit factus. *Vid. Beat. Dn. Mev. ad J. Lub. p. 1. Tit. 2. art. 2. n. 75. & seq.* Unde rectè recedentes ad residua onera compelli posse statuit *Dn. Struvius Ex. ult. lb. 26.*

(3) Notandum, quòd æquitas hujus Juris sit in ecclita, ut, quemadmodum advenientes, priusquam in civium numerum recipiuntur, vel in album civitatis referuntur, ob introitum aliquid in levamen civitatis & promiscuæ turbæ ad civitatem aspirantis impedimentum, solvere tenentur pro diversitate jus civitatis petentium, *vid. Beat. Dn. Mev. ad J. Lub. p. 1. T. 2. Rubric. n. 28.* ut pro civibus antea non habeantur, quàm præscriptam gabellam, Germanicè *Bürger-Geld* dictam, solverint. *arg. l. un. Cod. de Privileg. corp. l. 11. l. 2. Cod. de Cur. Urb. Rom. Cöppen. decis. 11. n. 4.* Sic quoque in redhostimentum defensionis & tributorum pensationem, nec non in impedimentum malitiosæ emigrationis, meritò & ex justa ratione hæc emigrationis gabella solvatur. *Vid. Beat. Dn. Mev. ad J. Lub. p. 2. T. 2. art. 4. n. 12.*

(4) De Objecto emigrationis notandum, quòd sit homo, quatenus partim libertati primævæ relictus, partim in civitate constitutus est, cujus civitatis ratio libertatem istam primævam sic coarctat, ut (1) ad evitandam interesse



nteressè publici periclitationem alicui civi modò solùm sua conjuge & liberis solutâ gabellâ integrum sit emigrare; quod verò quoad liberos limitatur in casu, si illi jam fuerint emancipati, h. e. si Jure consuetudinario pater liberos suos jam extra domum suam, seu, ut loquuntur, extra panem suum negotiari patiatur. Cujus ratio politica est, quia unius civis emigratione non statim palpabile Reip. detrimentum incutitur; quòd si verò plures simul conjunctim translationem domicilii meditentur, omninò Universitas decrementum sentire creditur. Unde non immeritò malitiosa ejusmodi putatur emigratio, utpote quæ in detrimentum Reipubl. constituta est.

2) Ut de omnibus bonis jubeatur portionem aliquam Universitati relinquere, de quo antea dictum.


Forma consistit in actuali emigratione, præviâ renunciatione & solutione gabellæ institutâ, ex una civitate in aliam cum omnibus bonis, animo & intentione ibidem habitandi.


Finis est salus & commodum proprium cujuslibet emigrantis.


Effectus emigrationis est, ut solenniter transferendo domicilium jura civitatis perdat emigrans, & desinat civis esse, idq; non solùm quoad munera, sed etiam quoad jurisdictionem. *Vid. Gail. 2. Obs. 36. n. 7. pag. 292.* Quamvis de Jure communi domicilium originis immutabile æstimetur, adeò ut ne renunciatio quidem civis & translatio domicilii quid operentur, quia est juris naturalis. *arg. l. orig. 4. Cod. de Municip.* Hoc enim non obstat, quo minus libertate naturali, quæ res est inæstimabilis, & æquè juris naturalis, cujusq; favor in Jure est maximus, frui liceat, & soluto pretio emigrare. Et hæc de Jure Detractionis & Emigrationis sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.









the scale towards document

*ib. Gloss. C. Comm. de Leg.* (2) An media-  
te scil. aliquo contractu vel alio actu, cu-  
bligatio pecuniæ solvendæ inducitur, &  
netæ valorem attenditur tempus facti vel  
statuto vel constitutione obligationem  
nisi post constitutionem monetæ mentio-  
antiquus valor expressè constituatur.  
tatutum pecuniæ mentionem faciens obli-  
niæ nec mediatè nec immediatè forme-  
a pecunia certi quid disponat, tunc valor  
a tempus statuti vel constitutionis atten-  
m *Cappen. d. l. n. 16.*

## MEMBR. II. de Jure Emigrationis.

### CAPUT I.

jure detractionis secundum causas tam  
es quàm perimentes, cognitâq; vectigalis  
gredior ad jus emigrationis; Et, quia hoc  
tractionis in plurimis convenit, ut cui scil.  
uo jure, adversus quos competat, qui sine  
ona sint obnoxia, quis ejus effectus, quis  
tus, ex præmissis in membro primo de fa-  
aris hujus singularia modò sum delibatur.  
quòd sit emigrandi aliòq; domicilium  
acultas, post solutam emigrationis gabel-  
bera.

tur Jure pro (1) Singulare hoc notandum  
n utilitas tributariæ præstationis hoc ipso  
*sd. Grot. de Jur. P. & Bell. l. 2. c. 5. n. 24.* pro-  
it prohibitum, ut neque occasione incola-

F  
tus